

inclyto nomini Vestro nuncupaverim. Nihil enim rectæ rationi magis consentaneum, nihil bono & æquo convenientius, quàm ut illustre adeò veteris ecclesiæ Gothicæ monumentum committatur tutelæ ac patrociniò Ejus, qui altâ mente nihil nisi publicam utilitatem fructúmque intuetur; & qui præsens opus non ob aliud urgere ac promovere studuit, quàm quòd illud Sueogothorum Regi ac genti gloriosum, totíque adeò Orbi Christiano apprimè utile fore judicaret. Quod si tamen hac meâ nuncupatiunculâ cuiquam videbor Excellentia vestræ gratiam apertè nimis captâsse, minimè mihi declinandam deprecandámque; hujus ambitionis invidiam putabo; sed ultrò potiùs ac liberè profitebor, mihi nunc nihil rerum omniũ esse quòd malim, quàm tanti voti posse fieri compotem. Nihil enim causæ video cur homini bonarum literarũ studiis ab ineunte ætate deservienti, non sit in optatis aliquo gravioris curæ, ac severioris doctrinæ
mo-

monumento demereri posse qualemcunque propensæ voluntatis Vestræ inclinationem ac gratiam, quam nemini bono interclusam esse patitur animus omni humanitate perpolitus, quámque & mihi porro propitiam fore confido; quousque Tui cultus in dies singulos apud me augefcet. Deus optimus maximus, Excellentissime Comes, complures Tibi quàm felicissimos largiatur annos, quò authoritatem ac famam ex solidâ rerum gestarum gloriâ coalitam corroboratámque; aliis super alia operibus porro tuearis, confirmes, amplifices. Sic vovet

Illustrissimæ Vestræ Excellentia

addictus, deditus, obstrictus,

FRANCISCUS JUNIUS F.F.

In